



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Vtres gesserit. cap. 9.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

subuehi naui per riuum poterat, qui à flumine Adua Mediolanum decurrit; & ita itineris tempus etiam legendo, scribendoq; vtiliter consume- re. Ibidem in decliui ripa fluminis, cuius altitudinem prærupti lapides tenent, loca designauerat domui coniungenda; quibus abte distinctis, sacrisque imaginibus instructis, ad diuinas contemplationes quibus tantopere postremis annis erat intentus vteretur. Ac licet alia castella, possessiones, & villæ, præsertim ad Verbanum lacum, & in ipso lacu, plurimum haberent non dicam amoenitatis, quam minime curabat, sed ad diuina contemplanda commoditatis: neque tamen ibi quidquam sibi ædificandum cogitauit; neque adiuuit vnamquam; nisi vt loca in sua dioccesi necessario sibi visenda.

Vt res gesserit.  
CAP. IX.

In eius rerum gerendarum ratione, duo pene vulgari iudicio pugnantia videbantur. ex altera parte si spectaueras; totam rem admirabili quadam fiducia diuinæ providentiæ ita commissam videbas, vt nihil spei penitus in humanæ diligentis officijs relictum videretur: ex altera vero, cum nullum officij, studij, curæ, industriæ munus, tempusve præterniteretur: nihil in diuina ope positum propemodum arbitrabare. In negotijs suis mentem, animumque in primis perturbacionibus vacuum; in id firmiter intendebat; quod optimum, rectissimum, Deoque gratissimum videbatur. ea studiose Deo, plurimis deprecatoribus, publicisque supplicacionibus adhibitis, commendabat; quemadmodum historie cursu non semel indicatum est. tum, vt erat acri ingenio, iudicioque, omnia circumspiciebat; commoda, atque incommoda ponderabat; quibus vijs detrimentum importari posset; quibus remedium afferri, diligenter inuestigabat: calamo etiam difficultates, remedia, argumenta, cautiones; & omnino

quicquid in re tota esset, distincte; ordineque notabat; ne quid elabere- tur; aut imprudenter, permixte ve fieret. alienum præterea, consilium prolixè, ac patienter exquirebat. cumque plena quadam cognitione, perfectioneque omnibus in rebus delectaretur; tam diu fixo animo vni rei insistebat; donec ipsa negotij, vt ita dicam, viscera diligenter inspexisset; quidque potius, meliusve esset ad eligendum cognouisset. quam ad rem subsidio erat capitis firmitudo eiusmodi, vt cum multas horas, puta sex, aut septem vni rei dedisset; tum etiam minime defatigatum, penèque integrum sese præberet. vetus pro- uerbum sequebatur, Age quod agis. ita enim perfecte agitur, quamquam ille pro naturæ quodam vicio sibi ferre tribuebat, quod fixè adeo in opere proposito perseveraret. Res in omnes partes versata, pleneque discussa videbatur; cum ille adhuc plurima inueniebat; quæ merito adde- ret, moneret, contradiceret. Scri- ptum; ab alijs intelligentibus perlectum; & emendatum; nam consuetudine sua multorum iudicium adhibebat; pluribus tamen locis merito corrigendum demonstrabat; ipseque mutabat; limabatque diligenter pro negotij grauitate, vt molestim sapere esset; quibus tam perfecta rerum species proposita non esset; tam diu immorari; ac non tandem probare, modumque ponere. Ac diuturna quidem in dubijs rebus utebatur delibe- ratione; diu si spatium esset, secum habebat; sæpius alienum consilium exquirebat. cum vero constitisset; celeriter; fortissimeque exequabatur, sic, vt plerisque persuasum esset, ne quidquam, nisi per auctoritatem fortasse maiorem, repugnari. Ad ita præstabat; vt etiam granissimas res facile; ac nullo pene negotio facere videretur; neque enim vel insuetus motus apparebat, vel plura loquebatur,



quàm necessitas ferret. eam virtutem diuina vi sustentatam, prudentes homines nonnulli, consuetudini tribuebant, antea maximarum rerum vsu in administratione Pontificia, confirmata, dicebant enim; vt ij, qui primò discentes, litteris magnis pingendis assuescunt; cum ad communem formam redeunt, magna vtuntur manus celeritate: ita Carolo maximis gerendis rebus Romæ assuesceto, Mediolanésia negotia facilia, leuiaque videri, quod vt aliqua ex parte verum sit, præstantiora tamen illa sunt; quàm vt ea possit vis eiusmodi consuetudinis consequi. Quid supplicationes, fiducia, perturbatione liber animus, summa diligentia illi valeret ad rem gerendam; tum vniuersæ administrationis euentus satis docuit; tum certa negotia multa, non semel res eius vniuersæ; sæpe etiam singule quædam, in eum locum erant adductæ; vt ad extrema ventum esse videretur, at repente commutatione facta, in optimum statum, tanquam in lumen ex tenebris restituebant. quæ res erat eius sensui consentanea dicebat enim, qui Deo vere seruiret, ei tunc maxime in rebus suis bene sperandum, cum extenuata maxime spes humano iudicio putaretur. Causæ suppetunt grauissimæ; in quibus cum virorum, doctrina, vsque præstantium sententia immo valde piorum impulsu ad iudicandum vrgeretur; ipse redintegratis supplicationibus, diu cunctatus est; donec contra penitus ac alij putabant, rem se habere, cunctis admirantibus apparuit: exploratumque fuit, nisi ille distulisset, rursusque ad preces confugisset, incommoda maxima exitura fuisse; grauissimas inimicitias; honoris, atque adeo quorundam vitæ iacturam: vt Carolum præcipuo quodam mentis lumine diuinitus illustratum prædicarent omnes, quibus de causis hoc tempore nobis minime videtur

explicandum. Humanam prudentiam rebus diuinis feliciter peragentis valde prædicabat aduersari, quod pius, religiosusque esset, etiam contra communes hominum sensus, constanter sequendum affirmabat. sed prudentia nihilominus, & etiam artificio laudabili quodam, ad ea quæ recta, piaque essent, consequenda, utebatur. cuiusmodi Romæ, rebus ejus in magnam inuidiam, ac non mediocre discrimen adductis, adhibuit. omni enim pietatis officio, sicuti suo loco narratum est, prius adhibito; prudentia mox alienissimos homines sibi conciliauit, in primis vero vnum, cui dicitur Carolus ludibrio, & despectui adeo fuisse; vt ab eo palam stultus quidam spiritualis appellaretur. patientia enim, & dissimulatione; tum earum quoque rerum commendatione: quæ vere laudabiles in amplissimo viro erant, eum ita sibi leniter placauit; vt magni demum iudicij vir, valdeque sapiens ab eo diceretur: aduersarijque magnum suæ causæ patronum sibi tam præter opinionem ereptum, valde quidem dolerent, magis tamen mirarentur. Profanarum rerum controuersias à principibus viris ad eius arbitrium quandoque delatas, recusauit. de contrahendis matrimonijs agere, si rogaretur; negare solitus fuit.

Cum autem ea, quam exposuimus, præparatione rem suscepisset; vt cumque illa procederet, constanter perseuerabat; inuictam mentem, animumque metus expertem præstabat. certum illi erat, magna sibi ad propositum tenendum, vel dæmonum insidijs, vel hominum errore, rebus omnibus fore impedimenta; maximas sibi, omnibusque Dei ministris paratas esse difficultates: quæ Dei clementia posset, soleretque in salutarum animarum fructus vertere. hæc cum ita proposita, prouisaque haberet; minus mirabatur, aut commoue-

Vt negotiorum euentus, & pericula tulerit.  
CAP. X.